



Disputatio juridica inauguralis de testibus

<https://hdl.handle.net/1874/342823>

12

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
T E S T I B U S.

Q U A M,

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS MUNNICKS,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri, atque in inclytâ ejusdem Academiâ
Medicinæ, Anatomæ & Botanices Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicorum consensu & Alme
Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in UTROQUE JURE Honoribus

& Privilegiis rite consequendis,

Publicæ Eruditorum censure exhibet

JOHANNES ZOBEL, Bremensis.

Ad diem 19. Junii, horâ locoque solitis.



TRAJECTI AD RHENUM,

Ex Officinâ **FRANCISCI HALMA**, Academiæ
Typographi, clo. I^oc. LXXXV.

*Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis,
Consultissimis, Prudentissimis,*

*VIRIS
DOMINIS, DOMINIS,*

**CONSULIBUS,
SYNDICO &
SENATORIBUS**

Imperialis Reipublicæ Bremanæ
PATRIÆ PATRIBUS vigilantissi-
mis, meritissimis, Fautoribus per-
petuo colendis

Hoc exercitium Inaugurale

Offert & Inscriptit

J O H. Z O B E L.
A U C T O R.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
TESTIBUS.
THEISIS I.



Emoriæ proditum est vetustissimis temporibus, Rhadamantum Græcorum legislatorem famosissimum, ac justitiæ laude omni ævo celeberrimum Tribunalia hunc in morem formasse, causarumque decidendarum rationem ita instituisse, ut si quid dubii aut controversi existeret, de quo necessariò judex adeundus esset, non argumentis aut testibus causa prolixè disceptaretur, sed solis assertionibus litigantium, jurisjurandi necessitate prius ipsis impositâ, lis determinaretur. Quem experiundæ litis morem ut simplicem ac facilem, sic genio illius seculi apprimè utilem, hodie verò nullatenus imitandum saniores judicarunt, quippe ut *Oridius* de integritate illius temporis testatur: *Sponte sua tunc quisque fidem rectumque colebat*, unde & *Plato lib. 12. de ll.* ita scribit; Rhadamantum summa laude videri dignum, quod cum leges eo tempore scribebat, quo plerique mortales Deum esse crederent, Deo potius, quam hominibus judicia committere maluerit: ex quo accidebat, ut judicia celeriter,

4 DISPUTATIO JURIDICA

ac nullo negotio disceptarentur, nam jurejurando in singulis litibus à litigatoribus exquisito celeriter ac tutum judicabatur; at verò ubi contenta religione vigere impietas cepit, tunc à Rhadamanthinis iudiciis abstinendum. *Hottom. in Disp. de Fend. cap. 40.*

I I.

Exinde fide dignis Testibus, aut liquidissimis probationibus forenes controversiae agi ac instrui cepere, adeò ut et si quis ad judicium provocans non injustè ageret, judicibus verò fidem facere non posset, succumbens ac vixius audire cogeretur, non tibi jus, sed probatio deficit *l. duo sunt. 30. de Testam. tur.* Quamobrem summo studio juris nostri tum conditores, tum interpres id egerunt, ut plenissimè constaret quantum fidei testibus, aliisque probationibus habendum, utpote in cuius cognitione judiciorum cardo vertitur, ut ait *Baldus ad l. 2. de Episcop. and.*

I I I.

Probationum verò ut variæ sunt species, quas prolixè recenset *Specul. in tit. de probat. §. videndum Jul. Pac. de probat. l. 1. c. 4.* & passim Dd. ita potissima ferè est, quæ per vivam vocem eorum, qui negotio, de quo in judicio controvertitur, præsentes inter fuerunt, ad judicis interrogationem fieri consuevit. *Mascard. de probat. in prefat. quast. 5. n. 3.* Cum enim in ore duorum consistat omne verbum, omni jure receptum est, duos testes, quorum fides non vacillat plenè probare, fieri enim vix poterit, quin accurato ac commodo testimoniū examine à judge, rerum non imperito, instituto, variisque quæstionum articulis formatis, veritas quamvis abdita à teste non extorqueatur *Nicol. de Lescut. in tr. de examin. testim. c. 2. in fin.* Adde quod circumstantiæ jus variant, illæ verò plerumque ita plene ex instrumentis aut aliis probationibus hauriri nequunt, quām ab iis, quibus præsentibus videntibusque contractus initus, vel delictum commisum est, præterea quædam etiam sese offerunt, non instrumentorum ope, sed testibus demum probanda, prout *Mascard. in d. pref. c. 5. n. 13. 14. ex Baldo* aliisque colligit.

I V.

Hanc itaque de TESTIBUS materiam, non raritate sed ipsâ

AUGURALIS.

ipsā frequentiā , ac continuo usu fori commendatissimam , sicut *Ulpianus* in *I. i. pr. ff. de testib. testimoniorum usum frequentem ac summè necessarium* directò docet , pro inaugu- rali laborandam , atque ex ingenii modulo exasciandam sum- si . Quamvis enim à plurimis Excellentissimis , tum hujus , tum præterlapsi seculi ingeniis tactam eam , atque pertractatam non ignorem , ut illud Terentianum *Nihil dictum quod non dictum prius* , aut illud me post *Homerum Ilias tentare* , objici mihi pos- sit , tamen , cùm & Aristotelem , & Ciceronem in arte orato- ria eundem morem , approbantibus eruditis omnibus tenuisse noverim , quorum ille antiquos artis autores usque à Thysia , qui illius inventor dicitur à *Cicer. de orat. lib. i.* repetens , sin- gularum inventa lucubrationesque summā diligentia notavit , hic verò post illum eandem materiam pertractans , similiter omni- bus in unum coactis scriptoribus , ex variis excellentissima quæ- que libasse , atque in unum collegisse professus est , unde per- fectus ille orator prodiit ; quis nobis vitio duxerit , si horum exemplo simile quid hīc tentemus , quā in re si non tantum præstiterimus , quantum illi , quod sibi promittere tenuitas nostra non audet , saltem dum vestigia assequi non liceat , legere ea ac subsequi sufficiat .

V.

Testari vox generaliter significat , sententiam suam exprimere , unde *Testimonium* & *Testamentum* peræque deductum est , & utrumque testationem mentis , seu expressionem sententiæ in- digitat , inde intestabilis in *ll. xii. tab.* qui nec testamenti condendi , nec testimonii dicendi jus habebat , prout ita explicat *Ulpianus* in *I. Is cui 18. §.1. ff. Qui testam. fac.* Specialius verò denotat testamentum facere , testamento hæredem scribere , ut neminem posse pro parte testatō pro parte intestatō decedere *I. Jus nostrum 7. ff. de R. f.* Et quæ significatio à nobis maximè at- tendenda est : *Testari* notat testimonium dicere vel testificari , testi- bus probare , testes facere , quod olim *Antestari* dici solebat . Unde & testando denunciare in *I. i. §. 3. ff. de peric. & comm. rei vend.* Testatō *I. i. ff. quod jūs* . Testatō convenire *I. ult. ff. pro derel.* nihil aliud est , quām testibus adhibitis denunciare , jubere . Sic &

6 DISPUTATIO JURIDICA

in testatum redigere i. e. in inventarium seu scripturam testibus munitam transferre *Ulpian.* in l. 1. §. 4. *Uſufr. quemadmodum cav.* Et breve testatum cuius fit mentio l. *Fend. c. 4. pr. 2. F. 6. 32.* est scriptum, breviter rem gestam continens, quod testis aut tabellionis subscriptionem habet. *Quin & Testari est pro obtestari & jurare:*

*Vos eterni ignes, & non violabile vestrum
Testor Numen.*

Virg. 2. Aen. ubi *Servius* plura notat.

V I.

Testem olim *superstititem* vocabant, quasi qui super re stetit, vel quod super causæ statu proferbatur *C. Forns* 10. X. de testib. *Iſiodor.* l. 18. *Etymol.* c. 15. *Plant.* Nunc mihi licet quodvis loqui, nemo hic adest *superstes*. Vide *Festum* in voce *superstes*. *Sic l. XII.* *Tab. c. 44.* *superstitibus* præsentibus vindicia sumuntor ab iis, inter quos *controversia* est; aut quod rei præsens fuerit, *superstes* enim pro præsente est. *Plant.* *Superstitem utrumque monui, ne injussa abeant,* & porrò superesse est pro adesse, præesse & præsentem esse in l. 1. §. 2. ff. de procurat. l. *His qui 12. pr. ff. de tut. & curat.* dat. l. *Sed & 2. ff. de curat. fur.* Item *Anistites* vel *Antistitor.* Item *Advocati* *Plant.* in *pænul.* *Cic.* pro *Cætin.* & pro *Cluent.* quod ad causam advocarentur. Item *Juratores*, quia injurati non testabantur apud *Senec.* Si liberit respondere dicam quod mihi in buccam venerit, quis unquam ab historico *juratores* exegit. Ubi scriptura adhibetur signatores vocantur. l. *Curent* 22. ff. de testib. l. *Locum haberet. §. 9. ff. de tab. exhib.* Germanicè *ein Zeuge* unde ita dicitur vid. *Helwigium in Lexic.* *Germ. vocab.* *Spaten.* in tract. *Den Teutischen Advocat.* l. 2. c. 6. n. 3.

V II.

Testis autem est persona, quæ de facto aliquo veritatis testimoniū perhibet l. *Eos qui 5. C. de testib.* vel, quæ de re dubia ad fidem judici faciendam vocatur & examinatur *Struv. Exercit.* 18. §. 35. *Lauterb. comp. jur. b. t.* Romanis autem in more positum fuit, quando testibus uti, vel aliquem testem constituere vellent, aurem illius ut tangerent, prout ex *Plant.* videre est in *Persa.*

INAUGURALIS.

7

Persa. Ubi leno ad parasitum. Nonne antestaris? Et parasitus
Tuane ego causa, Carnifex, cuiquam mortali libero aures atteram.
Et Horatius Serm. Sat. 9.

*Et quo tu turpissime, magna
Exclamat voce & licet antestari? Ego vero
Oppono auriculam.*

Ubi eleganter *Acron.* id explicat & veterem istam consuetudinem depingit his verbis, *Denunciantes litem antestatos habebant, quibus presentibus convenienter ita, ut aurem ejus teriore vellerent.* Solebant enim testium aures tenere, & ita dicere *Memento, quod tu mibi in illa causa testis eris.* Quod apud Germanos nostros in usu quoque fuit, in legibus enim *Bojar. tit. 2.* hoc caput hac de re reperitur. *Si quis testem habuerit per aurem, tractum de qualibet causa finita ratione, & hoc confirmat per testes, post hac non debet repetere, nec inquirere illum a quo finivit rationem suam.* Et si voluerit, tunc per testes defendatur se, illi testes testificantur, sicut scit, unde ad testem per auren tractus fuit. *Et in legib. Ripuar. tit. 62.* in eundem fere modum. *Et unicuique alapas donet & torqueat auriculas, ut ei postmodum testimonium prabeat.* Hujus attestationis rationem reddit *Plin. L. 11. c. 45.* *Est in aure, inquit, ima memoria locus, quem proinde tangentes attestamur.*

V I I I.

Dividuntur testes in *Omnis exceptione majores*, quorum dictis nihil quod fidem illorum diminuat, potest objici. *I. Optimam questionem 14. in fin. C. de contrah. & comm. stipul.* & antiquo verbo legis XII. tabularum dicebantur assidui *Gell. lib. 16. c. 10.* *Et Ideos,* quales intelliguntur, qui testimonium dicere non prohibentur, *arg. I. Nec non 28. §. 2. ff. ex quib. caus. maj. I. I. §. 1. ff. de testib.* proinde his cognitis, illi ignorari non poterunt.

I X.

Est vero testimonii dictio prohibita quibusdam simpliciter ob solam conditionem personæ, *Servis I. Eos testes 5. I. Servos 8. C. de testib. I. Quis testamento 20. §. 7.* *Qui test. fac. poss. de facto vero proprio interrogari poterunt I. Interrogari 15. C. de question.* ut & de criminibus dominorum adulterii, læse Majestatis, fraudati census *I. I. C. de question.*, vel si alia probatio ad eruendam veritatem

3 DISPUTATIO JURIDICA

tatem non est *l. Servi 7. ff. de testib.* Quæritur, si dubitetur num liber quis sit, vel servus; & audiendus is erit postea habitâ disputatione, & si libertatem probaverit ejus, dicto standum, quod si servus apparuerit ejus testimonium pro non dicto habetur. *Nov. 90. c. 6.*

X.

Impuberibus l. 3. §. 5. ff. de testib. l. Inviti 19. §. 1. eod. §. 6. f. de testam. propter infirmum consilium *l. 1. pr. ff. de minorib.* & quia hæc ætas ad mentiendum est facilis *l. Ex libero 15. §. 1. ff. de quaestione.* tum etiam, quod juramentum præstare nequeant. *l. 34. §. 2. de jurej.* quo non præstito nulli fides habetur. Pubertati proximus potest testari, ut qui doli est capax. *§. 18. f. de oblig. q. ex del. l. 111. de Reg. Jur.* Impuberum aliquando testimonium operatur, ut si puberes facti testentur de eo, quod in pupillari ætate viderint, eaque ætate in eorum intellectum potuit cadere *arg. l. 1. §. Impuberis C. d. fals. mon.* Quodsi quid admissum ubi forte præter impuberem nemo adfuerit; prudentiae judicis id relinquendum puto, qui caveat, ne vel ei credat nimis facile, vel cum prorsus rejiciat.

X I.

Mente captis & furiosis l. in negotiis 5. l. 40. de Reg. Jur. qui, cùm animi judicio & rectitudine mentis destituantur, absensit vel quiescentis loco habentur *l. Si ei 2. §. 3. ff. de jur. codicill. l. 1. §. furiosus. 3. ff. d. acquir. vel amitt. poss.* Quod intelligendum de illis, qui non habent intermissionem, vel dilucida intervalla *l. Qui testamento 20. §. 4. ff. Qui test. fac. poss. l. Cum aliis 6. C. de Curat. furios.*

X I I.

Infamia laborantibus, quorum in numero sunt, qui in vinculis custodiave publica, qui ad bestias ut depugnarent se locaverrunt, quæ palam quaestum faciunt, qui ob testimonium dicendum vel non dicendum pecuniam accepisse judicati vel convicti *l. 3. §. 5. ff. de testib.* Repetundarum *l. 15. ff. de testib.* ob carmen famosum *l. 21. pr. ff. de testib.* Furti damnati *l. 1. l. 4. §. 5. ff. de his q. not. l. 63. ff. furt. l. 7. ff. de publ. jud.* Imò damnati, si appellaverint pendente appellatione, utpote cùm non inter infames habeantur,

tur; testari possunt. *I. 6. §. 1. ff. de his q. not.* In directis actionibus pro socio, tutelæ, mandati, depositi propter dolum condemnati *I. 1. de his q. not.* propter turpitudinem senatu moti *I. 2. de Senat.* quique jure notati sunt; infamia facti, qui laborant in criminalibus repelluntur.

X I I I.

Hereticis, inusitatâ hæresi qui infecti, ut sunt quos vel pagana supersticio, vel Manichaicus furor detinet *I. Quoniam 21. C. de hæret. & Manich.* Item arcentur viles, inopes, cùm hi facile corrupti se patientur, ut quos fames magis, quàm fama incitat, hoc minimè extendendum ad pauperes, ut ii repellantur si modo probatae vitæ, nec suspecti quòd lucri causa contra veritatem deponant.

X I V.

Prohibentur alii secundūm quid, ut *minores viginti annis* in causis criminalibus *I. In testimonium 20. ff. de Testib.* exceptā causā quæ ad principem pertinet *I. 10. §. 1. ff. de question.* *Prodigi* in testamentis *I. Is cui 18. ff. Qui test. fac. poss.* qui non generaliter furiosis assimilantur, sed solū respectu administrationis ac dissipationis bonorum, proinde eos posse testari de aliis negotiis, cùm plene cognoscant, quæ ab aliis geruntur, *Dd.* putant. *Ceci* in testamentis, videre namque debent testatorem disponentem de bonis suis *I. Sinon 9. C. d. testam.* in aliis negotiis, si contrahentium voces notas habeant, admitti possunt; eorum testimonio quoque standum, si deponant de his, quæ ante cæcitatem viderunt.

X V.

Mulieres in testamento solenni *§. 6. f. de Testam.* *I. 20. §. 6. ff. Qui test. fac. poss.* Item in investitura feudi probanda *II. Feud. 22.* in aliis causis et si sint criminales testari possunt. *I. Ex eo 18. ff. de testib. d. I. 20. Qui test. f.* *Judæi & hæretici* in causis Orthodoxorum, testamentaria verò eorum testimonia & quæ in ultimis elo-
giis, vel in contraictibus consistunt propter utilitatem necessarii usus iis permissa sunt, ne probationum facultas coangustetur *I. Quoniam 21. C. de hæret. & Manich.*

X V I.

Adhuc alii removentur à testimonii dictione ob personam eo-

10 DISPUTATIO JURIDICA

rum pro quibus vel in quos dicunt, & eo ipso suspectum redditur testimonium. Facit vero testimonium suspectum, Conjunction vel magna amicitia, inimicitia, lucrum testi propositum, incommodi metus, fortuitus testis interventus, de quibus singularis ordine agendum.

X V I I.

Conjunction quando intercedit inter testem & illum pro quo testimonium dicit, suspectum id est. Proinde prohibentur parentes & liberi invicem l. 9. ff. de testib. l. 6. C. eod. omnesque ascendentibus arg. l. *Quique litigandi* 4. §. 2. de in jus voc. ne pietas amorque naturalis testimonio violetur, affines, quæ parentum & liberorum loco sunt. Exceptio est in ætate probanda l. 16. ff. de probat. & in causa matrimoniali, ut si dubium sit an matrimonium propter cognationem vel affinitatem possit contrahi c. super eo 22. X. de testib. potest quoque pater adhiberi in testamento filii testantis de peculio castrensi l. qui testamento 20. §. 2. ff. qui test. f. posse.

X V I I I.

Quæritur num Pater debeat à testimonio repelliri, si inter duos filios ut testis producatur: & dicunt parem affectionem omnem fraudis suspicionem tollere, & propterea ejus testimonium valere. arg. l. *Non solum* 67. §. 1. ff. de Rit. nupt. De duobus fratribus solet etiam quæri an admittendi, ut alter pro altero testimonium dicat, ubi Dd. distinguunt, utrum ambo emancipati, vel alteruter, vel nullus, quibus posterioribus casibus non sunt admittendi, nisi testetur de peculio castrensi, priori vero casu econtra, quamvis corum testimonium ad fidem faciendam non magnum adferat momentum, cum necessitudo & gratia eorum testimonium reddat suspectum l. 5. C. de testib. Et quod de amico in l. 3. pr. ff. de testib. dicitur, meritò ad fratrem extendi debet, ut qui arciori longè vinculo fratri conjungitur. Inter duos fratres ob paritatem affectionis admitti poterit frater. Et nihil prohibet patrem, filium, vel fratres duos, qui sunt in ejusdem patris potestate in eadem causa testimonium dicere, nihil namque nocet ex una domo plures testes alieno negotio adhibere; cessat enim affectionis præsumtio l. 17. ff. de testib.

XIX. Inis

XIX.

Inimicitia non levis, sed capitalis l. 3. ff. de testib. l. Si quis 17. C. eod. l. si quis 3. §. ult. ff. de adm. & transf. leg. suspectum reddit testimonium, puta si quis vitæ alicujus insidiatus, aperte aliqui maledixerit, infastas voces jactaverit l. Si inimicitia 9. ff. de his quæ ut indign. si de omnibus bonis, aut de plurima eorum parte controversia arg. l. 21. pr. de excusat. si inimicis amicitiam copulaverit suam. l. liberi 28. C. de inoff. testam. c. si inimicus 1. Dift. 93., nam amicus inimici mei & meus inimicus est arg. l. 1. §. cum patronus 10. de offic. pref. urb. c. repellantur 7. X. de accus. c. cum oporteat. 19. eod. Qui in causa criminali in alium testatus est non potest in eundem testimonium dicere l. 23. ff. de testib. Gothofr. in not. Nov. 90. c. 7. Extendunt hoc ipsum Dd. ad inimicum præsumtum Menoch. L. 1. arbitr. jud. caus. quæst. 28. Limitantur prædicta, si quis fraudulenter causam inimicitiae testibus dedisset, ne contra eum testimonia dicere possent, nulli enim fraus vel dolus debet esse lucrosus l. si is 2. C. si min. se major. l. Fraudis 79. de Reg. Jur. vel etiam si quis passus inimicum produci & examinari nec de eo opponat, videtur enim fidem ejus approbasse. Convicto quoque non creditur quoties ad societatem sceleris eum vocat à quo oblatus l. 1. § cum quis 26. ff. de question. l. sicuti 4. C. eod.

XX.

Lucrum vel commodum testi propositum, proinde prohibentur omnes in re propria esse testes l. 10. ff. de testib. l. 10. C. eod. Propria verò causa dicitur, cuius emolumentum vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet l. 1. §. In propria 11. ff. Quand. appell. Pecuniarium vero commodum rem propriam facit; Hinc repelluntur hæres in testamento in quo institutus §. 10. f. de testam. ord. l. 20. pr. ff. Qui testam. f. poss. Bonorum possessio l. 2. ff. de bon. possess. Singuli in causa societatis vel collegii, si aliquo modo societatem causa tangat, sive sint socii omnium bonorum, sive socii ejus negotiationis vel rei de qua lis agitur; cives in causa civitatis, ex qua directo commodum accipiunt singuli, ut si agatur de pascuis in quibus pascendi jus singulis est; in aliis causis quæ quidem ad civitatem pertinent, singulis

DISPUTATIO JURIDICA

tamen directo commodum non ferant, testari possunt, quia singulorum non censentur *l. si municipes. 2. ff. quod cuique univ. nom.* ut si agatur de legato civitati relatio, vel de jurisdictione, vel finibus seu limitibus probandis.

X X I.

Ex eadem ratione nec fidejussor potest testari in causa debitoris, venditor in causa emtoris, cedens in causa ejus cui ceditur, tutor in causa pupilli *l. qui fundum. 7. §. 3. ff. pro emptor. l. ult. ff. de testib.* Nec patronus in causa cui patrocinium præsttit, exinde namque famam & existimationem sperat *d.l. fin. de testib.*, ab adversario contra clientem etiam invitus produci potest. *Perez. h. t.* Nec proxeneta, ut qui ex validitate & perfectione contractus lucrum seu pretium accipit, quod proxeneticum vocant, nisi partibus consentientibus, quo casu & invitus testari cogitur *Nov. 90. c. 8.* Qui causam consimilem habet etiam non admittitur, ut si ego me fundarem in mea causa in consuetudine aliqua, tu in alia causa eandem consuetudinem adducens, eam meo testimonio velles probare. Nec conscientius vel socius ejusdem criminis pro reo auditur, hujus namque absolutio illi prodesse potest. *l. quoniam liberi II. C. de testib. l. ult. C. de accusat. c. veniens 10. X. de testib.* Generaliter, quoties testis interest eum vincere pro quo quis testimonium dicit quotiesque quis in instrumento ex quo commodum sperat adhibetur, idoneus testis non est.

X X I I.

Exceptio est in legatario, qui in testamento ex quo quid capit rectè testis adhibetur *§. legatarii II. J. de testam. ord. l. Qui testamento 20. ff. qui testam. f. poß. l. si quis ita 14. ff. de reb. dub. l. dictantibus 22. C. de testam.* Hæreditas namque jus universum est. *l. 119. ff. de verb. sign.* legatum res singularis, unde legatarius non tam de suo legato, quam de toto testamento depositit, licet per consequentiam lucrum ad eum perveniat, *§. 1. J. de legat.* quæ verò per consequentiam fiunt spectari non solent. *arg. l. i. pr. de auctor. tutor.*

X X I I I.

Incommodi metus, proinde non admittitur eorum testimonium qui-

quibus imperari potest, ut sunt subditi alicujus Potentis, *i.eos testes 5. C. de testib. l. 6. ff. eod.* Sed hāc ratione Principi aufertur occasio rei suæ probandæ, ideoque Dd. restringunt ad talem Principem, qui crudelitate insignis, vel vindictæ cupidus, ut meritò ejus iram subditi metuant, vel etiam subditos idoneos esse testes tum, cùm jusjurandum subjectionis iis remissum Sichard. b.t. Nec domesticorum *l. 24. ff. de testib. l. 3. C. eod.*; domestici autem sunt, qui cum eodem habitant, & quibus imperari potest, ut servis, libertis, bonâ fide servientibus *l. Perspicendum 11. §. 1. ff. de panis. l. si libertus 89. ff. de furt. l. Aediles 25. §. 2. ff. de Aedil. editi. l. Præsenti lege 6. §. 5. C. de his q. ad eccles. l. 12. C. de testib.* Uxor quoque dicitur de familia mariti esse. *l. Pronuntiatio 195. §. 2. ff. de Verb. signif. l. quicunque 10. C. de re milit. l. Adversus 4. C. de crim. exp. bared. l. 1. §. si vir. 15. ff. de Sæt. Silan. l. 1. ff. de Rit. nupt.* Ideo testis esse non potest in causa mariti, nec contra maritus in causa uxoris, Papon. arrest. *L. 9. t. 1. arr. 21.* & est ratio, cur domesticorum testimonium non admittatur, quia credibile est eos facile nihil dicturos contra dominum vel patronum ne ab eo male accipiuntur & domo ejiciantur. Hoc autem restringitur ut si lis inter conjuges, vel negotium domesticum probandum sit *l. Consensus 8. §. 6. C. de repud.* quæ enim domi geruntur non facile per alienos possunt confiteri, vel si unà & alii testes adsint, qui defectum familiaritatis possint supplere.

XXIV.

Fortuitus testis interventus, in illis nempe negotiis, ubi necessariò rogari debent, ut in testamentis *l. heredes 21. ff. Qui test. f. poss. autb. Rogati C. de testib.* in solutionibus *d. autb. N. 90. c. 2. l. Testium facilitatem 18. C. de testib.* in aliis negotiis etiam testes non rogati fidem faciunt. *l. 11. ff. de testib.* In genere de testibus notandum, quod eorum habilitas tempore depositionis & examinis sit spectanda; tum quod etiam inhabiles admittantur, si non adsint idonei, vel si veritas aliter explorari non possit. *l. 7. l. 21. §. 1. ff. de testib. l. 8. l. 9. ff. de question.* Reipublicæ enim interest ne veritas occultetur.

XXV.

Adhibentur testes tam in causis civilibus, quam criminalibus, quanquam in his magis idonei & integri requirantur. *l. i. §. 1. ff. de testib. c. testimonium 54. X. de testib.* Hinc queritur, an ingenuitas solis testibus possit probari, vel an aliæ probationes sint necessariae & deciditur in *l. si tibi 2. C. de testib.* quam Dd. explicant particulam non minime referentes ad sufficiunt sed ad soli, ut sensus sit, non solum testibus, sed & instrumentis vel argumentis ingenuitas potest probari. *Gotbofr. ad l. d.*

XXVI.

Non raro cum eveniat, ut quod quis in judicio se probaturum speraverat, id adimplere non possit propter defectum legitimorum numeri, ideoque post personas testium jam de eorum numero dicendum. Ad fidem itaque judici faciendam & secundum jus Divinum duo sufficiunt *Num. 35. ¶ 30. Deut. 17. ¶ 6. 19. ¶ 15. Matth. 18. ¶ 16. 2. Corinth. 13. ¶ 1. l. Ubi numerus 12. ff. de testib.* In iis nempe negotiis ubi majorem numerum leges non desiderant. Requirunt vero leges septem, duabus in causis, in testamentis §. 3. *f. de test. ordin. l. 3. ff. unde lib. l. Si unus 12. C. de testam.* *l. Hac consultissima 21. pr. eod.* ut per ampliores homines perfectissima rei veritas revelaretur. *l. questionem ult. in fin. C. de fideicomm.* ac in divortiis & repudiis *l. Nullum 9. ff. de divort.* in aliis vero ultimis voluntatibus quinque testes sufficiunt. *l. Si quis 8. §. ult. C. de Codic. l. ult. C. de donat. mort. caus.* ut & in negotiis inter vivos, sic solutio probatur apocpha, quodsi hanc scripturam liberationis non habeat debitor, quinque testibus debet probare solutionem esse factam *l. Testium facilitatem 18. C. de testib.* Sed si apocpha casu deperdita, etiam duobus testibus id potest. In aliis negotiis numerus trium testium est legitimus *l. comparationes 20. C. d. fid. instrum. l. scripturas 11. C. Qui por. in pign. Nov. 73. c. 1. 2. l. Super chirographariis 17. C. Si cert. per. l. Sancimus 27. C. defecitam.*

XXVII.

Uni testi non habetur fides, et si sit illustris *l. maritus 20. ff. de question. l. jurisjurandi 9. §. 1. C. de testib. c. veniens 10. c. licet 23. X. de testib.* ut iudex secundum ejus asserta judicet, nam vox

vox unius vox nullius. Laudatur proinde modestia Q. Scœvolæ, qui cùm in reum productus, respondit, quòd salutem periclitantis magnoperè laesurum videbatur, discedens adjecit, ita sibi credi oportere, si & alii idem asseverassent, quoniam unius testimonio aliquem credere, res pessimi esset exempli *Val. Max. lib. 4. c. 1.* Aliquando tamen & unius assertio fidem facit, ut si ille solus sit instructus de negotio de quo queritur *l. Theopompus 14. ff. de dot. præleg.* vel si alia indicia concurrent *l. Non omnes 5. §. 6. de re milit.* vel si de terminis fundi controvertitur *l. Eos terminos 12. ff. fin. regund.* Executoris vel nuncii relationi creditur in his quæ diëi assignationem vel partis citationem concernunt, quæque ad officii sui executionem pertinent.

XXVII.

Amplissimus numerus testium quanquam legibus sit definitus, judices tot poterunt admittere, quot sufficere putant, ne effrænata potestate ad vexandos homines superflua multitudo testium protrahatur *l. i. §. 2. ff. de testib.* Effrænata verò multitudo est cùm plus quam quadraginta sint testes *c. cum cansam 37. X. de testib.* In lege Servilia repetundarum centum atque viginti hominibus testimonium dicere licuit. Jure Galliæ cautum, ne in singula capitula plures quam decem testes audiantur *Arrest. Papon. L. 9. t. 1. arr. 1.* Hinc si duo litis confortes sint, qui una eodem articulos posuerunt, quilibet illorum super quolibet articulo decem testes producere potest, atque adeò pro his duobus viginti testes adducentur.

XXIX.

Productio testium fit regulariter post litem contestatam *c. quoniam 5. X. ut lit. non contest.* Sed sæpe cùm contingat, ut nostra inter sit, ne testium examinatio differatur; excipiuntur casus, quibus & ante litis contestationem testes producere licet, ut si valetudinarii, senes, peregrini, quorum copia postfacile haberi nequit, qui ad æternam rei memoriam tum produci & examinari possunt, partis tamen adversæ citatione interveniente.

XXX.

Producit possunt testes semel, bis, ter sine conditione, quarta verò productio non admittitur, nisi præstito ab eo, qui hoc postulat, juramento, quod neque per se neque per alium testificata subtraxerit, vel fuerit percunctatus, neque per dolum, aut artem aliquam quartam productionem reposcat, sed quia, quos desiderat de novo producere, prius habere nequivit *anth.*
At qui semel. C. de probat. Nov. 90. c. 4. c. ultra 55. X. de testib. Is qui semel vel iterum vel tertio testes produxit & ulteriori productioni renunciavit, vel si dicta testimonia jam productorum, aut adversarii exceptiones cognoverit, ad aliam productionem non admittitur. Quæritur utrum possim producere eum quem in alia causa reprobavi? & distinguendum, aut eum reprobavi ex causa quæ illum in totum reddit inhabilem ad testimonium dicendum, ut si criminoseum, infamem, infamiam juris esse probaverim: aut eum reprobavi, quod fortè affectionem gesserit, vel erga producentem, vel erga causam, quo casu absque dubio in aliis negotiis rectè producitur, priori verò casu non.

XXXI.

Per testes itaque quid probaturus videat, ut idoneos producat, eosque nominet, necesse namque est eos nominare, ut judici quinam citandi sint constet, non citati qui accedunt suspecti sunt, & fidem non faciunt *arg. l. Que omnia 25. ff. de procur.* nisi pars de hoc non opponat, vel etiam res ipsa ob inopiam probationis aliud suadeat. Citatio ergo ut sit valida contineat nomen testis citati, nomen ejus cuius rogatu fit, nomen judicis citantis, locum & tempus. Jussu judicis competentis illa fit per apparitorem seu nuncium ipsi testi, vel si ille absens, ad ejus domum domesticis, vel etiam vicinis. In termino itaque quem judex ad hoc assignavit sunt coram judice, aut si ille occupatus coram eo, cui hoc commisit, qui aliis hoc committere nequit, nisi partes consentiant, & unâ parte reclamante ejus examen nullum est, producendi.

XXXI I.

Nominati possunt cogi ut veniant, etiam inviti *l. Constitutio
16. C. de testib. l. Si quando. 19. eod. l. locum habet 3. §. 9. ff. de tab.
exhib. mulctæ inductione vel captis pignoribus l. l. §. Quid ergo
3. de insp. vent.* Hæc verò necessitas veniendi remissa est cognatis
& affinibus *l. lege Julia. 4 ff. de testib.* ut & iis qui non judicii
detrectandi causa non veniunt, absentibus Republicæ causa,
militibus, tempestate, vi fluminis, vel funere domestico impe-
ditis *l. Inviti 8. ff. de testib. l. 19. eod. l. Non exigimus 2. §. 3. l. Sed
etsi 4. §. 1. seqq. ff. si quis caus.* Sacerdotibus *l. In jussuocari 2. ff.
de in jus voc. l. Prætor ait 13. ff. de vacat. muner. l. Nec honore
7. C. de episc. & cler.* Personis egregiis *l. ad personas 15. ff. de
jurej. l. Cum judices. 2. §. 1. C. de jurej. propt. cal.* Valetudina-
riis, senibus, qui verò propriè senes sint quidem arbitriarum esse
volunt *arg. l. Non aliter 69. de Leg. 3.* quidam septuaginta annis
majores intelligunt *arg. l. Majores 3. ff. de jur. immunit.* *l. Mani-
festi ult. C. qui etat sè exc.* Hi excusantur quoad hoc, ut inviti
non possint cogi venire ad judicem, sed judex ad eos mittit,
domique erunt interrogandi *c. Si quis testium 8. X. de testib.*

XXXI I I.

Sæpe verò contingit quod testes quibus quis uti vult sub alia
sint jurisdictione, & tum aliud servatur in causis civilibus, aliud
in criminalibus, in civilibus mittit judex literas ad magistra-
tum ejus loci in quo testis commoratur, requiritque ut testes ibi
super articulis inrerrogentur *l. Judices 18. C. de fid. instrum. Nov.
90. c. 5.* quo facto eorum depositionem diligenter descriptam ac
obsignatam ejus loci magistratus remittat: in criminalibus, ubi
majus periculum, testes de Provincia in Provinciam evocari
possunt, ut judicialiter deponant coram judice causæ criminalis
d. Nov. De quo dubitandum an hodiernis moribus id obser-
vetur, utpote cum Principes ac Domini provinciarum non adeò
sint subjecti jurisdictioni Imperatorum ut olim, qui tenebantur
constitutionem Domini sui observare transmittendo testem ad
requisitionem judicis de causa cognoscentis de sua provincia ad
præsentiam judicis requirentis, posse itaque examinationem in
causis criminalibus committi, volunt.

XXXIV.

Quæ necessitas est veniendi, eadem est manendi donec examinati : debent verò exspectare per quindecim dies l. si quando 19. §. Sed cum C. de testib. Quia verò sæpe cum magna captio-
ne à rebus nostris revocamur, ac iniquum sit officium suum
cuique esse damnosum, satis esse volunt, si se judici obtulerint
testes, eosque tum licere discedere, domumque repetere l.
Sed si 7. ff. testam. q. aper. Perez. b. Sumtus in iter & alia ipsis
à producente erunt restituendi. l. 3. §. 4. ff. de testib. l. quoniam
liberi 11. C. eod. l. eos qui 6. §. 2. C. de appell.

XXXV.

Producens testes offert scripturam, quâ continentur articuli
quibus examinari testes desiderat, in scriptis ut fiat utile est,
tum ratione producentis, ut eò certior sit testes interrogari de
his, quæ ad causam pertineant, cùm sæpe judices non interro-
gent de iis, quæ tamen pernecessaria essent, vel quod non ita
instructi sint aut in jure aut in facto ; tum ratione adversarii,
ut se contra intentionem producentis eò cautius præmunire pos-
sit, formareque interrogatoria, quæ ad hunc potissimum fiunt
effectum, ut per ambages deprehendi possit, an testes de nego-
tio de quo quæritur plenam habeant cognitionem, nec ne,
hæcque formanda sunt, ne quid amplius contineant, quam
quod aliquo modo ad articulos pertineat, si quid extraneum
aut supervacuum judex invenerit id cancellabit, nec horum co-
pia danda est parti adversæ, ne producenti occasio sit testes
subornare.

XXXVI.

Antequam verò ad examen testes admittuntur, judex parti-
bus præsentibus jubebit testes jurare, quòd non amicitia, non
odio, non præmio adducti sed amore veritatis moti ad dicen-
dum testimonium venerint, & quòd ad ea omnia de quibus in-
terrogabuntur secundùm scientiam & conscientiam respondere,
ac attestations non revelare velint. Hæc juramenti præstatio
summè necessaria est l. 9. C. de testib. adeò ut injurati ne indi-
cium quidem faciant. Singulare quid resert Val. Max. L. 2. a.
ult. in f. de Xenocrate, qui cùm more civitatis accederet, vel-
letque

letque jurare vera esse quæ retulisset, surrexerunt judices ac proclamarunt, ne jurandum diceret, eique fides fuit habita. Nullum verò dubium est jurandum à parte adversa posse remitti *arg. l. pætum 46. ff. de pæt. l. Si quis in 19. C. eod.* Dubitatur an post testimonium dictum testes jurare possint & *l. 9. C. de testib.* exigit, ut prius jurejurando testes astringantur, cùm alias facile jurarent vera esse quæ dixerint, ne viderentur mentitos esse. Sed hodie etiam juratur post dictum testimonium, modo fiat in continenti. *Gail. l. obs. 101.*

XXXVII.

Hoc juramento præstito testes examinantur; sit verò examinatio à judge, is namque cognoscere debet quanta iis fides habenda, proinde præsentes interroget, testibus enim non testimoniis credendum *l. 3. §. 3. ff. de testib.*, ut ex voce, ex vultu, quâ trepidatione, quâ constantiâ quid dicant cognoscat, *seorsim & secretè*, ne alter alterius sciat testimonium, adhibito tamen notario, qui dicta consignet, in quo discrepare volunt quidam usum fori à *l. Judices 18. C. de fid. instr.* quæ jubet ut testes interrogentur utraque parte præsente vel altero ob contumaciam absente, alii hunc textum intelligunt, si ulteriori productioni renunciatum sit. Interrogantur autem super articulis propositis, cùm enim super his tantum jurent, iis veluti injuratis non creditur, si de alia re, quam quæ articulis comprehensa est, testentur. *c. de testibus 29. X. de testib.* ideoque rectè super interrogatoriis adversæ partis, ut quæ ad causam faciunt, examinantur.

XXXVIII.

Expedito examinis actu, judge convocatis partibus attestaciones publicat, quod sit cùm judge in præsentia partium pronunciat attestaciones in causa receptas pro publicatis haberi, permittendo partibus earum copiam fieri, tum sequitur disputatio attestacionum, ubi excipitur contra dicta testium, vel examen non ritè peractum, ut si quis non citatus, non juratus, non jejunus examinatus *c. 1. X. de testib.* quamquam hoc honestatis magis quam necessitatis sit, si pars adversa non fuerit ci-

20 DISPUTATIO JURIDICA

tata ad videndum produci, & jurare testes, si non secretò examinatus.

X X X I X.

Contra personas testium excipitur, quod sint impuberis, infames, criminosi, hic queritur, an is qui crimen objicit nec id ipsum probat, teneatur actione injuriarum, ubi distinguunt Dd. an agatur de crimine quod sanguinis poenam irrogat, vel tractetur de existimatione aut fama alicujus, in quibus & similibus casibus si testibus contra me allatis injuriam fecerim non tenebor, sin verò de bonis quæstio est, & talia objecerim tenebor, sanguinem enim meum qualitercumque redimere possum l. i. ff. de bon. eor. quod etiam ad famam extenditur. l. Isti quidem 8. §. 2. ff. Quod met. caus. Excipere verò contra personas qui vult id facere debet ante publicationem attestacionum, vel jurare has causas reprobandi testes post attestaciones publicatas ad suam pervenisse notitiam, vel ab initio protestari c. presentium 31. X. de testib.

X L.

Contra dicta testium objicitur, quod testis non reddat rationem dicti sui, & ideo non probet l. Sola testatione 4. C. de testib. vel quod reddat quidem causam, sed insufficientem, ut si interrogatus testis unde sciat dicat quia scio, vel quia nemo dubitat, si verò dicat scio quia vidi, audivi, rectè probat, concludere enim debet per aliquem sensum corporis, aptum ad percipiendum hoc quod deponit testis, qui dictorum nullam reddit rationem dicitur testari tanquam pecus Melibæi fason ad l. 8. ff. de transact. Non tamen tenetur testis motu proprio causam dicti sui reddere, sed ad interrogationem judicis, in causis civilibus; in causis verò criminalibus etiam non interrogante judice Salic. ad l. ult. C. de probat.

X L I.

Quod non deponat de proprio auditu se nempe à contrahentibus audivisse, sed ex auditu aliorum, se ab aliis audivisse negotium sic gestum; limitatur hoc verò in rebus antiquis, ubi etiam admittitur probatio de auditu alieno l. si arbiter 28. ff. de probat. l. In summa 2. §. 8. ff. de aq. & aq. pluv. isti autem, à qui-

à quibus testes dicunt se audivisse , debent vel longè esse absentes , vel aliàs tales , qui examinari non possint , aliàs isti erunt audiendi . Quòd deponant *de credulitate testes* , se nempe credere negotium sic fuisse gestum : deponere etiam debent de loco & tempore , aliàs non concludenter probarent , cùm alias actus , diversus ab eo super quo litigatur , possit is esse de quo interrogantur ; ejus tamen testimonium qui de tempore non recordatur , inutile non est .

X L I I .

Certis in negotiis testis etiam debet videre actum agentis , ut in testamentis , in quo non sufficit quòd audiverit loquentem testatorem , sed eum videre necesse est , Item quòd deponant *ambigua* ; quod limitatur , si intentio producentis eo probetur , ut si ambigua deponant circa genus armorum quo quis occisus . *Obscura* , quo casu judex ex officio testes potest repetere , ac denuo examinare *c. cum clamor 53. X. de testib. Contraria* , & volunt Dd. in causis civilibus priori depositioni standum esse , in criminalibus posteriori majorem rationem habendum , sed neutri potius standum in criminalibus namque probationes luce meridianâ debent esse clariores *I. Sciant ult. C. de probat.* Si ex contrariis depositionibus prior extra judicium , altera judicialiter facta sit , absque dubio posterior valebit .

X L I I I .

Quòd deponant *falsa* , in quos judex pro qualitate delicti animadvertendi habet licentiam , omni illis admittà præscriptio- ne , seu exceptione fori , duplexque via ad falsos puniendos constituta est , ordinaria ex lege Cornelia de falsis §. 7. *J. de publ. judic. I. eos 27. ff. ad leg. Corn. de fals. extraordianaria* , ut possint pro qualitate delicti coerceri à judice apud quem falsum dixerunt . *I. Qui falsa 18. & I. nullum penitus 14. C. de testib.* Falsi poenâ etiam affici posse eum , qui veri testimonii dicendi gratiâ pecuniam acceperit , volunt quidam generalitate *I. I. §. 2. ff. ad Leg. Corn. de fals. moti. Dissentit Menoch. L. II. cent. 4. cas. 310.*

X L I V .

Quòd testium dicta sint *singularia* , & ideo nullam faciant

probationem , dicitur autem singularis testis respectu aliorum testium de eodem negotio aliter deponentium , sed quia eorum depositiones simul stare non possunt , ob contradictionem sese mutuo debilitant . Est singularitas vero alia *obstativa* , quando dictum unius testis sic obstat alterius dicto ut ejus fidem infringat , alia *diversificativa* , alia *cumulativa* . *Siruv. Exerc.* 28. §. 48.

X L V.

Officio judicis denique incumbit perpendere ex qua ratione & fide talia adversus testes objiciantur , & si testes in judicio dissentiant , attendat , utrum unus pluribus , & hoc reliquorum testimonio non deroget fidem , aut plures pluribus , & si fieri poterit concordia tentanda per commodam interpretationem , si hoc frustraneum , testimonium seniorum praefertur juniorum , masculorum , foeminarum , nisi iis verisimiliter rei veritas magis comperta sit , vel etiam si foeminae sint nobiles , mares non , digniorum , humiliorum , etiamsi digniores sint pauciores numero c. in nostra 32. X. de testib. Si omnes sint ejusdem honestatis & dignitatis , judex judicabit secundum ea quae rei aptiora veroque proximiora esse comperit , litemque suâ pronunciatione decidet .





(I.)

*Nobilissimo & Ingeniosissimo
Viro - Juveni*

D. JOHANNI ZOBEL,

Eruditionis *Testimonium de TESTIBUS edenti,*
Conterraneo & Amico Veteri,

*Ex debito honoris & amoris officio posuit
HENR. IKEN, B. M. D.*



*On opus est verbis , ubi jam res
est manifesta :*

*Sic docte nobis regula prisca
tulit.*

Hoc verum est etiam , quando de TESTIBUS , ore

*Docto pro summo scribis , Amice ,
Gradu.*

Princi-

(II.)



Rincipium Juris docuit Te Brema , pro-
gressum
Leida dedit , finem Trajectum denique
tradit
Ad Rhenum , viridi dum cingit tempora
Lauru

Ac te Doctorem declarat Juris & Aequi
Quid mirum ? tibi cùm post tot tantosque Labores
Præmia digna feras ? cùm sint Venalia Divis.

Cuncta labore.

Has lineas , tanquam J. Amicitiae testes
producere voluit , debuit

FRANTZ ALBRECHT SCHÖNE,
Bremanus L. L. R. S.

(III.)


Andite nunc Helicona Deæ , cytharasque
movete ,
Et tu dulciloquum prome Thalia me-
los .
Undique Zobelii nostri diffundite laudes ,
Ipsum etenim Lauro jam Themis alma beat .
Quam studiis dudum meruit capit ecce coronam ;
Doctoris titulus Jure in Utroque datur .
Plaudite Pierides , vester præludat Apollo ;
Ex animo mecum Plaudite quisquis ades .

In certum amoris sui Pignus erga No-
bilissimum D. Candidatum , Cognati-
tum dilectissimum adscripsit

J. H.